



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

De bono pacifico homine. 3

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48701)

2 Quando homo pro defectibus suis se humiliat, tunc facilliter alios placat, & leuiter satisfacit sibi irascentibus. Humilem Deus protegit, & liberat: humilem diligit, & consolatur: humili homini se inclinatur: humili largitur gratiam magnam, & post eius depressionem, leuat ad gloriam. Humili sua secreta reuelat, & ad se dulciter trahit & inuitat. Humilis accepta confusione, satis benè est in pace: quia stat in Deo, & non in mundo. Non reputes te aliquid profecisse, nisi omnibus inferiorem te esse sentias.

CAP. III.

De bono pacifico homine.

1 **T**ENE te primò in pace, & tunc poteris alios pacificare. Homo pacificus magis prodest, quàm benè doctus. Homo passionatus, etiam bonum in malum trahit, & facilliter malum credit. Bonus pacificus homo, omnia ad bonum conuertit. Qui benè in pace est, de nullo suspicatur. Qui autem malè contentus est & commotus, variis suspicionibus agitur:

nec

nec ipse quiescit, nec alios quiescere permittit. Dicit sæpè, quod dicere non deberet: & omittit, quod sibi magis fi-

Mat. 7. cere expediret. Cōsiderat, quod alij facere tenentur: & negligit, quod ipse fa-

Act. 1. cere tenetur. Habe ergo primò zelum super teipsum, & tunc iustè zelare poteris etiam proximum tuum.

2 Tu benè scis facta tua excusare & colorare, & aliorum excusationes non vis recipere. Iustius esset, vt te accusares, & fratrem tuum excusares. Si portari vis, porta & alium. Vide, quàm longè es adhuc, à vera charitate & humilitate: quæ nulli nouit irasci, vel indignari, nisi tantùm sibi. Non est magnum, cum bonis & mansuetis conuersari, hoc enim omnibus naturaliter placet; & vnusquisque libenter pacem habet, & secum sentientes magis diligit. Sed cum duris & peruersis, aut indisciplinatis, aut nobis contrariantibus, pacificè posse viuere, magna gratia est, & laudabile nimis, virileque factum.

3 Sunt, qui seipfos in pace tenent, & cum aliis etiam pacem habent. Et sunt, qui nec pacem habent, nec alios in pa-

ce

Gal. 6.
1. Cor.
13.

ce dimittunt: aliis sunt graues, sed sibi
semper grauiore. Et sunt, qui seipfos
in pace retinent, & ad pacem alios re-
ducere student. Est tamen tota pax no-
stra in hac misera vita, potius in hu-
mili sufferentia ponenda, quam in non
sentiendo contraria. Qui melius scit
pati, maiorem tenebit pacem. Iste est
victor sui & dominus mundi, amicus
Christi & hæres cæli.

CAP. IIII.

De pura mente, & simplici intentione.

I **D**VABVS alis, homo subleuatur
à terrenis, simplicitate scilicet
& puritate. Simplicitas debet esse in
intentione, puritas in affectione. Sim-
plicitas intendit Deum, puritas appre-
hendit, & gustat. Nulla bona actio te
impediat, si liber intus ab inordinato
affectu fueris. Si nihil aliud, quam Dei
beneplacitum, & proximi vtilitatem
intendis & quæris, interna libertate
perfrueris. Si rectum cor tuum esset,
tunc omnis creatura speculum vitæ,
& liber sanctæ doctrinæ esset. Non est *Rom. I.*
creatura tam parua & vilis, quæ Dei
bonitatem non repræsentet.

2 Si